

cit enim : Omnes iustorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum : unde Job , & Martyres , que passi sunt , propter sua peccata passi sunt . Bajani enim non agnoscentes , Deum caros suos ex misericordia , & ad augmentum meritorum affigere , ut exerceatur illorum patientia , ut in Job ; ut experiatur illorum fortitudo , ut in Martyribus ; & ut omnia ista admirentur in sua Sanctissima Matre ( sic enim amat latine loqui ) quæ est omnium virtutum exemplar ; afflictiones etiam iustorum autemant esse penas , quibus Deus iustus judex peccata castigat , non advertentes ad id , quod Raphael Tobie dixit : quia acceptus eras Deo , necesse fuit , ut tentatio probaret te ( Tob. 12. ). Quare fulmen damnationis non cadit supra primam partem propositionis 73. quæ enuntiatur , sed supra secundam , quæ si non studiose , saltem inconsiderate occultatur .

Sed est ridiculum talia divinare . Propositio , quæ reprobatur a Pio V. , partes haber omnino duas . Earum prima cum altera non est connexa . Nam sine illa potest altera intelligi : quin etiam debet . Continet enim alium errorem de actionis peccato in Deipara Virgine , cuius merito passa sit afflictiones humanae vitæ . Hunc enim errorem suspicari licet ex illa particula sicut , quæ justi cæteri comparantur cum Dei Matre : quos certum est peccatum aliquod veniale admisisse ; quoisque Bajus affirmat ejusdem quoque causa , dum viverent , fuisse vexatos , non solius originalis Deinde pars illa prima a priore non pendet propositione 72. In hac enim de criminis actionis sermo pariter est ; quippe Jobum , & Martyres ait propter sua peccata esse passos . Pars vero prima 73. propositionis culpam originis unice habet , quam & Virginem contraxisse , & ei causam fuisse obeundæ mortis assertat . In ea parte vitium est peculiare , quod censura notandum fuit a Pio V. Nam cum piæ sententiæ patrocinium jamdiu antea suscepisset Ecclesia ; indigna res erat , a Bajo , non in gymnasio disputante ( quod si unum fecisset , erat ejus ætate tolerandum ) sed in vulgi frequentia palam docente hoc pronuntiari : *Nemo præter Christum est absque pec-*